

*Bibliothèque numérique*

medic@

**Albers, Johann Abraham. Icones ad  
illustrandam Anatomen Comparatam**

*Lipsiae : G. J. Goeschen, 1818.*

*Cote : 651*



(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)  
Adresse permanente : <http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?00651x01>

651

718

651

I C O N E S

AD ILLUSTRANDAM

ANATOMEN COMPARATAM.

---

A U C T O R E


I. A. A L B E R S

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORE, ACADEMIAE CAESAREO-REGIAE IOSEPHINAE MEDICO - CHIRURGICAE VINDOBONENSIS, ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM BEROLINENSIS, ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM BOICAE MONACHIENSIS, ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM HOLMIENSIS, SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM GOETTINGENSIS, SOCIETATIS IMPERIALIS RUSSICAE NATURAE SCRUTATORUM MOSQUENSIS, SOCIETATIS MEDICAE PARISINAE, FACULTATIS OLIM MEDICAE LOCUM EXPLENTIS, SOCIETATIS MEDICAE AEMULATORIAE PARIENSIS, SOCIETATIS SUECANAE HOLMIAE, SOCIETATIS MEDICAE HAVNIENSIS, SOCIETATIS MEDICO - CHIRURGICAE LONDINENSIS, SOCIETATIS LINNEANAE PHILADELPHIENSIS, SOCIETATIS PHYSICO - MEDICAE ERLANGENSIS, SOCIETATIS PHYSICAE ET HISTORIAE NATURALIS WETTERAVIENSIS, SOCIETATIS NATURAE SCRUTATORUM MARBURGENSIS, SOCIETATIS HISTORIAE NATURALIS HANNOVERANAE, ET DENIQUE SOCIETATIS SYDENHAMIANAE MEDICAE HALENSIS SODALI.

---

L I P S I A E

A P U D G. J. G O E S C H E N. 1818.





## SOCIETATI REGIAE LONDINENSI

J. A. ALBERS.

SOCIETATI REGIAE LONDINENSIS

J. A. ALBERS.

---

P R A E F A M E N.

---

Jam ante decem abhinc annos operis huius initium feci; ab ipso edendo plura me tamen alia detinuerunt negotia literaria. Per quod temporis spatium operis non solum rationem atque elegendum, sed ipsas quoque tabulas aeri inscriptas cum amicis pluribus, qui in hoc doctrinae genere maxime inclaruerunt, ex quibus virorum Blumenbachii, Sömmerringii, Cuvieri, Rudolphi, Tiedemanni, Trevirani celeberrima nomina hîc allegasse sufficiat, communicavi. Sola autem haec eadem nomina documento sunt, assensus horum virorum non nisi pro veris sincerisque accipi a me potuisse.

Quem autem in edendis hisce tabulis mihi finem proposuerim, eum titulus sufficienter indicat: editurus enim sum Icones ad illustrandam anatomiam comparatam, easque rariorum maxime animalium, quorum corpora inspiciendi rarissima in nostris regionibus paucis tantum datur copia. A cetaceis igitur incipiendum putavi, utpote quorum partes paucissimae eaeque

rarius hucusque sunt delineatae. Quam ob causam sequentis quoque fasciculi materia anatomicam eorumdem animalium structuram exhibebit. — Partium vero delineatarum non fusiores descriptiones, sed succinctas, quales ad intelligendas tabulas sufficient, solummodo explicationes sum daturus.

Pronunciasset hoc loco desiderium liceat, ut eximium Petri Camper opus de cetaceorum structura anatomica, claram sane lucem de re scrutatu cognituque dignissima sparsurum, tandem edatur a viri immortalis filio Adriano Camper, viro cum de omni scientia naturali, tum maxime de anatomia comparata summopere merito.

Tabulae iam editae priores si bene ab artis peritis exceptae fuerint, alterum ipsarum fasciculum, vel binos quotannis, parabo edendos, iique emtoribus, quamvis paucis forsan futuris, modico pretio tradentur, utpote utroque nostrum, amico meo Goeschen, bonorum omnium aestimatione dignissimo, et me ab omni lucri cupidine alienissimo.

Bremæ,  
die decimo Februarii,  
C1010CCCXVIII.

I. A. ALBERS.

---

---

TABULA I.

**Balaenae Boopis (la Jubarte des Basques) skeleton.**

Petrus Camper, huc (Bremam) profectus, ut huius animalis caput in usum operis sui supra laudati delinearet, Balaenam Physalum esse censuit. At pectus animalis sulcatum, diligenti delineatione accurate descriptum, Balaenam esse Boopem, citra omnem ponit dubitationem.

Captum vero animal anno 1669. die 8<sup>vo</sup> Maji in altero Visurgis alveo prope portum Vegesack, mox Bremam est translatum. Magna ipsius imago oleatis coloribus primum est picta et deinde skeleton praeparatum; utrumque vero in curia Bremana suspensum. Imago pristinum adhuc retinet locum; skeleton autem in museo societatis physicae nostrae asservatur, in quod inter Gallicam nostrae urbis occupationem est transpositum.

Fuit autem


Longitudo totius animalis,	. . .	ped. 29
Distantia inter os et oculum,	. . .	— 5
Longitudo pinnae anterioris,	. . .	— 3
Latitudo caudae,	. . . .	— 9

Maxime dolendum est, hocce skeleton non solum pluribus ossibus esse mancum, sed totum quoque, ut primo docemur

---


intuitu, prorsus vitiose compositum. Ipsa maxilla inferior cranio perperam est iuncta, quod facile colligitur e processibus coronoidis deorsum versis; quem quidem errorem in delineatione mea emendandum curavi. Os singulum libere pendens in parte sceleti inferiori et posteriori os pubis mihi videtur esse, quod in Delphino Phocaena e duobus constituitur ossibus discretis semilunaribus.

Taf. I.



Beckenkamp delin.

Tischbein sculp.



---

T A B U L A II.

Facies superior cranii Monodontis Narhwal junioris, quod in collectione zootomica celeb. de Froriep, viri a consiliis medicis, Vinariae adservatur.

Est autem hocce caput notatu dignum, et propter cranii ossa nondum coalita, et propter dentes duos exsertos, quorum dexter minor est sinistro.

Equidem novi hucusque novem tantum delineationes craniorum Narhwalis, duobus dentibus exsertis.

Primae delineationis a Wintersteenio a. 1684 editae mentionem facit Klein in historia piscium naturali. Lipsiae. 4.

Secundam exhibuit Eberh. Wern. Happelius in relationibus curiosis, oder die größten Denkwürdigkeiten dieser Welt. Hamburg 1681—1690. Tom. IV. pag. 629.

Tertia est illa Salomonis Reiselii, quam in Ephemeridibus naturae curiosorum, Dec. III. ann. 3. 1700. pag. 351 sqq. ad exemplar, quod Stuttgartiae adservabatur, depingi curavit et brevibus descripsit.

Quarta latet in rarissima dissertatione Tychonis Tycho-  
nii, cui titulus: Monoceros piscis, haud monoceros, Hafniae  
1706, cuius alteram partem anno sequenti 1707 prodire iussit.  
In cranio ab ipso descripto et delineato laevus dens exsertus  
aequabat septem pedes, dexter, qui maxilla obductus latebat,  
novem pollices \*.

Quintam novi capitis insignis atque notissimi delineatio-  
nem, cuius cel. Anderson in descriptione itineris ad Islandiam  
et Groenlandiam et fretum Davis \*\* mentionem jam fecit, quod-  
que nunc in collectione physiographica perillustr. Roeding  
Hamburgi servatur, unde superiori adhuc anno liberaliter mihi  
concessum, ut accuratius ipsum inspicerem et perscrutarer. Est  
autem huius capitis dens exsertus sinister longitudinis pedum  
7 et pollicum 5; dens exsertus dexter longitudinis pedum 7.  
Anderson duas re vera eodem loco exhibuit huius capitis imagi-  
nes, quarum altera superiorem, altera inferiorem capitis faciem

\* Dissertationem modo allegatam laudat quoque celeberrimus ille, et de ana-  
tomia comparata meritissimus Eberhardus Home, in tractatu de dentibus exsertis  
Narhwali (Philosophical Transactions of the Royal Society of London, for the  
year 1813. Part. I. p. 126—130.) — Integer titulus dissertationum Tychonii est:  
Tychonis Lassen Tychonii Monoceros piscis haud monoceros ad veram for-  
mam nuperi e mari Groenlandico hospitis depictus et descriptus, cum prologo histo-  
rico-critico. Resp. Weichhart. Hafniae 1706.

Eiusdem Exercitatio II. Monoceros piscis haud monoceros, quaesitus in  
museis. Resp. Gyrsting ibidem 1707. 4. c. fig. aen.

\*\* Johann Andersons Reise nach Island, Grönland und der Strafe Davis.  
Hamburg 1746. pag. 203.

ostendit. Priorem Uffenbachius in itineris sui descriptione \* iteravit et rudi prototypo rudiorum exhibuit, ita, ut vix nisi critices et comparationis gratia nominari hic mereatur.

Sextam et septimam videmus et legimus descriptam in Laurentzenii (Johannis) Museo regio, seu catalogo rerum tam naturalium quam artificialium, quae in basilica bibliothecae Daniae monarchae Friderici IV. Hafniae adservantur, 1711. — et in Kleinii historia piscium, Miss. V. tab. 3. fig. a. b. — Censente perillustri Blumenbachio, hae quidem imagines haud secus ac illae, quas supra commemoravimus, Happelii et Wintersteenii unum idemque exemplar illud exhibuerunt, quod etiamnum, ut supra dictum est, in collectione Roedingii exstat.

Duas alias, octavam scilicet et nonam, in totidem craniis delineationes dedit supra laudatus Home, in commentatione antea citata. Quarum quidem altera (Plate VII. fig. 1.) consimilis est ei, quam Tycho Tychonius exhibuit; altera vero (ibidem fig. 2.) Monodontis Narhwal feminae caput cum utroque dente lanario, primore exitum parante, monstrat.


1. Os frontis.
1. Osis occipitis apex superior.
3. Os maxillae superioris.
4. Os intermaxillare.

\* Zachar. Conrad von Uffenbach merkwürdige Reisen durch Niedersachsen, Holland und England u. s. w. Frankf. und Leipz. 1753. T. II.

- 5. Os unguis.
- 6. Os temporum.
- 7. Os sphenoidum, i. e. spina sphenoidalis.
- 8. Dens exsertus sinister.
- 9. Dens exsertus dexter.

- 1. Os frontis.
- 2. Os maxillae superioris.
- 3. Os intermaxillare.

Tabulae Anatomiae comparatae, auctore Johanne W. Walbaum, aetate 1797.



Koenig del.

Tiecklein sculp.



---


T A B U L A III.

Capitis ejusdem facies inferior.

1. Os frontis.
  2. — bregmatis.
  3. — occipitis.
  4. — maxillae superioris.
  5. — intermaxillare.
  6. — unguis.
  7. — temporum.
  8. Rudimenta organi auditus.
  9. Vomer.
  10. Os sphenoidium.
  11. Ejusdem processus pterygoideus.
  12. Os palatinum.
  13. Dens exsertus sinister.
  14. — — dexter.
-



Taf. III



Koenig delin.

Trochheim sculpsit.



